

Ceccoper. Lucubrat. Canonic. lib. 2. tit. 2. n. 5.

His itaque perspectis unacum juribus utrinque afferendis respondendum erit:

I. *An camerarius alique officiales rev. fabricae S. Mariae de Stella Cathedralis Ecclesiae Urbis Veteris teneantur subministrare Episcopo ejusdem civitatis suppellectiles et Paramenta sacra necessaria pro celebratione missae tantum in suis domesticis cappellis seu etiam pro aliis ecclesiasticis functionibus ibidem peragendis in casu?*

II. *An eidem Episcopo sint subministrandae suppellectiles et Paramenta sacra extra civitatem Urbis Veteris occasione sacrae visitationis aliarumque ecclesiasticarum functionum exemplendarum per suam dioecesim? Et quatenus affirmative?*

III. *Cujus qualitatis debeant esse dictae suppellectiles et Paramenta sacra in casu?*

S. C. resp.

ad I.: Affirmative;

ad II.: Negative;

ad III.: Esse debere qualitatis decentis gradus episcopalis.

Die 19. Jan. et 9. Febr. 1737.

10) In Expos. SSmi.

Vd.: *Exposit. SSmi; Velum.*

11) Forma.

Vd.: *Paramenta (Mutatio.).*

Reverendissime Domine
uti Frater.

Quum renunciantibus nonnullis Episcopis aliisque ecclesiasticis et laicis viris Sanctam Sedem non lateret quaedam in Anglia, Gallis, Germania et Belgio Dioeceses immutasse formam sacrarum vestium, quae in celebratione Sacrosanctae Missae Sacrificii

adhibentur, easque ad stylum, quem dicunt gothicum, elegantiori quidem opere conformasse,

ex hoc porro examine quamvis eadem Sacra Congregatio probe nosceret sacras illas vestes stylum gothicum praeserentes praecipue saeculis VIII., XIV. et XV. obtinuisse, aequae tamen animadvertit Ecclesiam Romanam aliasque latini ritus per orbem Ecclesias, Sede Apostolica minime reclamante, a saeculo XVI., nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini aetate, usque ad nostra haec tempora illarum reliquisse usum, proindeque, eadem perdurante disciplina, necnon Sancta Sede inconsulta, nihil innovari posse censuit, uti pluries Summi Pontifices in suis edocuerunt Constitutionibus sapienter monentes immutationes istas, utpote probato Ecclesiae mori contrarias saepe perturbationes producere posse et fidelium animos in admirationem inducere.

Sed quoniam Sacrorum Rituum Congregatio arbitratur alicujus ponderis esse posse rationes, quae praesentem immutationem persuaserunt, hinc, aucto Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. oraculo, verbis amantissimis invitare censuit Amplitudinem Tuam, ut, quatenus in tua Dioecesi hujusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velis, quae illis causam dederunt.

Interim Amplitudini Tuae fausta omnia a Domino adprecor.

Amplitudinis Tuae

Romae dis 21. Augusti 1863.

Uti Frater

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C.
Secretarius.

12) Laicorum.

Vd.: *Laici.*

13) Materia.

Vd.: *Instr. Cl. §. XXI. n. 8.; Param. (Qual.)*

DECRETUM GENERALE.

Quamvis S. R. C. sub die 15. Mart. 1664 reprobaverit morem, qui forte alicubi obtinuerat, conficiendi Amictus, Albas, Tobaleas Altarium necnon Corporalia et Pallas ex tela quandam composita ex lino et gossipio subtilissimo, nihilominus novissimis temporibus adeo invaluit abusus, ut, constanti Ecclesiae disciplina posthabita, nonnullis in Ecclesiis non alia adhibeantur suppellectilia vel ad sacrificandum vel ad Altarium usum, nisi ex simplici gossipio confecta. Ad hanc corruptelam, quam bene multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam, studia converterunt Emi et Rmi D. Card. Sacris tuendis Ritibus praepositi: solliciti idcirco, ut, quod usque ab Ecclesiae primordiis quoad sacra indumenta et suppellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur et in posterum omnino servetur, declararunt et decreverunt, ab antiquo more sub quolibet praetextu, colore ac titulo non esse recedendum, et eadem sacra indumenta ac suppellectilia conficienda esse ex Lino aut Cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tanacitate Linum aut Cannabem aemulante et aequante: aliqua tamen indulgentia utentes permiserunt, ut amictus, albae, tobaleae, mappulae, si quae ex gossipio habentur, adhiberi interea possint usque dum consumentur: sed, cum hujusmodi suppellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, praeeperunt. Districte vero jusserunt, ut corporalia, pallae ac purificatoria, post lapsum unius mensis a praesentis Decreti publicatione, linea omnino sint vel ex cannabe, interdico et vetito aliorum usu, quae

ex gossipio supererunt. Et ita decreverunt ac ubique locorum, si SSmo D. N. placuerit, servari mandarunt die 15. Maji 1819 n. 4563.

Facta autem per Secretarium SSmo D. N. relatione S. S. Decretum S. C. approbavit, confirmavit typisque editum publicari praecipit ac praeterea jussit, ut locorum ordinarii ejusdem observantiae sedulo incumbant; die 18. ejusdem mensis et anni.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Huic generali Decreto occasionem dedit dubium excitatum a pio quodam Sacerdote et S. R. C. ad definiendum propositum, quod sequentis tenoris est: *Cum variis abhinc annis in permultis Ecclesiis tum Romae tum aliarum civitatum et ditionum consuetudo inducta sit, in choralibus indumentis, nempe in superpelliceis et rochettiis nec non in sacris suppellectilibus tam pro Sacerdotibus celebrantibus quam pro usu altarium, in tobaleis videlicet, amictis, albis, purificatoriis ac etiam in corporalibus eorumque pallis, utendi tela ex gossipio (vulgo Mussolo, o Dobletto) loco lini contexta: quaeritur. „Utrum consuetudo ista sit toleranda?“ Etenim hac super re variae sunt scriptorum cum theologorum tum de S. Ritibus pertractantium sententiae. Aliqui putant id licere, alii vero nefas esse volunt adhibere pro hisce suppellectilibus et indumentis aliam telam, quae specie differat a lino vel cannabe, licet candore, munditie, textura dissimiles non videatur. Verumtamen nec in unum simul conveniunt illi, qui secundam hanc tenent sententiam. Quippe eorum quidam nullum ponunt discrimen inter suppellectilia et suppellectilia, sed volunt, telam ex gossipio adhiberi posse etiam in iis, quae immediate sacrificio inserviunt, veluti sunt corporalia ex contactu Corporis Christi sacra, pallae ad tegendum,*

in compendio Privilegiorum verb.:
Ornamenta Ecclesiastica n. 6.

15) Munditia.

Vd.: *Munditia Ecclesiae; Sacrista; Ritus graec.* (Constit. Innoc. IV. §. 10.); *Param.* (Qualit.)

16) Mutatio.

Vd.: *Param.* (forma, benedict. quando etc.)

Paramenta nova et antiqua mutare possunt Canonici absque consensu Episcopi, etsi de aliis mobilibus adsit consuetudo, quod de consensu Episcopi id fiat: Sac. Congr. Conc. in Maxien. 23. Aug. 1631 apud *Aldan* loc. cit. n. 52. et *Barbosam* loc. cit. n. 2.

17) Pontificalia.

a) Quis defert ad Cathedram?

Capellani Metropolitanae Ecclesiae (Januen.) de Massa nuncupati non tenentur Archiepiscopo pontif. celebraturo deferre s. Paramenta ad Cathedram nisi deficientibus Acolythis. n. 3997 ad 4 die 3. Mart. 1731.

Cf.: *Sandalia* (decr. n. 4606 nota); *Diaconus et Subdiaconus Episcopi; Episcopus* (Paramenta); *Tertia* (Locus etc.); *Paramenta* (Episcopi).

Lotis manibus Acolythis offerunt ex altari Paramenta Episcopi per ordinem, unus post alium, videlicet amictum, albam, cingulum, crucem pect., stolam, pluviale (ad Tertiam) et mitram. Diaconus et Subdiaconus capientes singula Paramenta de manibus Acolythorum Episcopum vestiunt.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 12.

b) Cui non competunt?

Vd.: *Faldistor. Dignit. etc.* (decr. n. 3976.)

c) Cathedralis (Cujus sumptibus?).

Ad dubium: an *Ecclesia* vel *Sacristia* teneatur *subministrare* Para-

menta pontif. proprio Episcopo? S. C. resp.: Episcopum uti posse praefatis Paramentis pontif. n. 1008 ad 1 die 9. Decb. 1634.

Episcopo, Pontificalia exercenti in Civitate, sed extra Cathedralem, licet etiam invitis Canonicis pro se et suis Assistentibus et inservientibus Paramenta a Cathedrali desumere. n. 1441 ad 5 die 14. Mart. 1643.

Ad dubium: Si in Ecclesia (Cathedr. Gerundae) non adsunt Pluvialia ejusdem coloris in numero sufficienti pro Dignitatibus, Canonicis et Beneficiatis, quomodo sit procedendum? S. C. resp.: Sumptibus Ecclesiae juxta solitum. n. 3640 ad 2 die 20. Jan. 1703; n. 3694 ad 2 die 12. Julii 1704.

Vd.: *Param. Episcopi* (Quis subministr.).

d) Ubi induit Episcopus?

Vd.: *Tertia* (Locus cant.).

18) In Processione.

Vd.: *Processio* (Param.).

19) Qualitas.

Vd.: *Param.* (Materia; forma.)

Paramenta Ecclesiastica debent esse munda, honesta et proportionata usui et Ministerio, ad quod accomodantur; cap.: *Vestimenta* 42. *de consecrat. dist. 1.*; cap.: *Relinqui* 2. *de Custodia Eucharistiae*. Paramenta Ecclesiastica et praesertim vestes, quibus Sacerdos utitur in Missa, uti amictus, alba et hujusmodi, debent esse *benedicta*, ut colligitur ex cit. cap.: *Vestimenta* 42. *de consecrat. dist. 1.*, antiqua Ecclesiae consuetudine et benedictionibus pro hac re institutis et contentis in Caeremoniali Romano.

20) Quando pretios. utenda?

Indumenta s. nobiliora Celebrantium et Altaris pretiosiora ornamenta esse

assumenda in festivitatibus 1. cl. et functionibus solemnioribus ad formam Caer. Ep., exclusis tamen a solemnioribus diebus expositione SSmi occasione Orationis 40 hh. et Octava SS. Corp. Chr. n. 4383 ad 1 die 12. Julii 1777.

21) Renovatio.

Vd.: *Paramenta* (bened. quando amittunt?).

Ad dubium: An decretum Episcopi Regineten. in visitatione latum super renovatione pluvialis et lampadis ante altare majus sit exequendum a Parocho S. Mariae Montis Morelli?

S. C. C. resp.: *Affirmative*.

Die 12. Apr. 1710 *Reginet.* ad 10.

22) Sacerdotis defuncti.

Vd.: *Sacerdos def.*

23) Testari de iis non potest.

Omnia et singula ornamenta et paramenta ac vasa necnon missalia et gradualia et cantus firmi et musicae ac alii libri et aliae res sacrae, etiam auri et argenti, ac quaecumque alia bona per quoscumque Abbates seu Commendatarios et alios quoscumque, qualiacumque beneficia ecclesiastica etiam quorumvis Ordinum regularia obtinentes ad usum et cultum divinum, etiam in eorum privatis aedibus et capellis vel oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento vel ab intestato relicta, sub quibusvis facultatibus testandi et alias disponendi de bonis non comprehendantur, nec sub appellatione spoliolum veniant, sed ad singulas Ecclesias, Monasteria etiam Conventu carentia, et beneficia hujusmodi (in quibus resederint aut quibus praefuerint seu quae alias obtinuerint) omnino pertineant. Quod si aliquis ex praefatis Abbatibus seu Commendatariis et aliis Beneficiatis pluribus Ecclesiis seu Monasteriis pro tempore

simul vel successive praefuerit seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta et paramenta ac res et bona praedicta ad illa omnia (habita ratione fructuum et temporis, quo eadem beneficia possedit) spectent omnino, et proportionaliter inter ea dividantur: Pius V. apud Cherubin. in Bullar. Rom. tom. 2. const. 42., quae incip.: Romani; et referunt etiam Quaranta in Sum. Bullar. verb: *Spolia Clericorum* pag. mihi 482., *Tamburin.* de Jure Abbat. tom. 3. disp. 16. quaesito 2. n. 2. p. 268.

PARASCEVE.

1) Adoratio Crucis.

a) Clerus.

I. Cappa Canonicorum.

Vd.: *Cruz* (materia); *Cappa Canon.* (decr. n. 3544); *Oblatio in Parasc.*; *Lanz.*

Canonici habentes usum Cappae magnae non possunt illam deferre expansam seu extensam, ut Episcopus, in adoratione crucis fer. VI. Parasc. vel alio tempore. Abusum Episcopus tollat. n. 3544 ad 3 die 23. Jan. 1700.

Ad dubium: An Canonicis accedentibus fer. VI. Parasc. ad ador. crucis cum cappis explicatis, earum extremitates sint a Clericis elevandae? S. C. resp.: *Negative*. n. 3597 ad 4 die 10. Sept. 1701.

Licet Capitulo Cathedr. s. Severi in adorat. s. crucis fer. VI. Parasc. incedere cappis extensis usque ad talos. n. 4178 ad 1 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium 1.: An Canonicis fer. VI. liceat necne in Parasceve deponere s. vestes, quae induti reperiuntur, et permittente Episcopo, assumere iterum cappam, et soluta longiori vestis fimbria ad adorationem Crucis accedere ac deinde s. iterum vestes resumere?

2. An saltem cum cappa et soluta talaris vestis fimbria id liceat, semper

purificatoria ad abstergendum calicem et Sacerdotis digitos destinata: Alii vero admittunt ex gossypio confici posse Sacerdotalia indumenta, amictus videlicet et albas, tobaleas insuper, quibus Altare operiendum est, non item tamen corporalia, pallas, purificatoria, quae cum propius S. Mysteriis inservant, non ex alia materia, quam ex lino vel cannabe confecta adhibenda esse in Sacrificio existimant. S. autem C., ut quaestiones abrumperet ac dubia removeret, quae ex diversis scriptorum opinionibus oriuntur, rationibus hinc inde allatis mature discussis, ab antiquo probatoque more Ecclesiae, adhibendi scilicet pro omnibus praefatis indumentis et supellectilibus telam contextam ex lino vel cannabe, recedendum non esse eundemque ad omnimodam observantiam revocandum decrevit: proindeque inductam in aliquibus Ecclesiis consuetudinem conficiendi indumenta et supellectilia pro S. celebrandis Mysteriis ex alia materia a lino vel cannabe diversa reprobavit et tamquam abusum ac corruptelam jure merito eliminandam edixit. De supellectileis et rochettiis nihil pro nunc decernendum duxit, quia hujusmodi vestes neque pertinent ad immediatum Sacrificii et Altaris usum, neque supellectilibus Sacerdotalibus ad sacrificandum stricte necessariis adnumerantur, sed haberi possunt potius ut choralia indumenta. Decretum autem hujusmodi, cum generale sit, a Supremo Pastore adprobatum confirmatumque, praeceptivam obligationem importat; ideo S. S. districte jubet, ut locorum ordinarii ejusdem observantiae sedulo incumbant, ne ullus sit, qui latam legem sub quolibet praetextu vel titulo audeat illudere.

Ad dubium: Num Planetae, stolae et manipula possint confici ex tela linea vel gossypio vulgo *Percallo*, coloribus praescriptis tincla aut depicta?

S. C. resp.: Serventur rubricae et usus omnium Ecclesiarum, quae hujusmodi casulas non admittunt. n. 4815 ad VIII. 3 die 22. Sept. 1837.

Atrebaten.

Paucis abhinc annis mos invaluit in Galliis telas sericas vitreas texendi, quibus Vestes Eccl. Sacrificio Missae aliisque Divinis Officiis inservientes conficiuntur. Earum textura ex gossypio aut simili materia solida componitur, cui superimposita sunt filamenta serica et vitrea, quae aurea certe dici valerent, si ex vitro lux auro simillima produci posset: vitrum enim in filamenta subtilissima redactum inseritur filis sericis eodem ferme pacto, quo filamenta aurea vel argentea inseruntur telis aureis vel argenteis nuncupatis vel etiam ad modum operis phrygii disponuntur super telam eadem filamenta. Quum autem haec facili negotio in minutissimas partes frangi possint et delabi in calicem cum probabili periculo valetudinis illius Sacerdotis, qui has partes cum Jesu Christi Sanguine deglutiat, Emus et Rmus D. Card. Hugo Robertus De la Tour d'Auvergne Lauraguais Ep. Atrebat. S. R. C. humillime sequens proposuit dubium enodandum, nimirum: An licitum sit ad celebrandam Missam ornamentis uti, quorum textura vitrea est mixta auro vel argento? Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitibus coadunata, audita relatione ab Emo et Rmo D. Card. Constantino Patrici Urbis Vicario facta, riteque consideratis iis, quae ab exquisito Voto alterius ex Apost. Caeremoniarum Magistris praelo cuso exponuntur, rescribendum censuit: „In Voto Magistri Caer. seu negative ad propositum dubium, propterea que praedictis ornamentis uti non licet.“

N. 5099.

Die 11. Sept. 1847.

Ordinis Minorum de Observantia.

S. R. C. humillimis datis precibus adivit Fr. Joseph Camaiti Alumnus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Burgi S. Sepulchri, ut declarare dignaretur: an in Decreto Generali s. m. Pii Papae VII, quo interdicatur usus S. Supellectilium Sacrificio Missae deservientium ex gossypio confectarum, comprehendantur etiam casulae ex eodem gossypio contextae? Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitibus ad Vaticanum hodierna die habitis, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt: „Non comprehendunt.“

Die 23. Maji 1835 n. 4750.

Hieracen.

Precibus Sacerdotis Jacobi Barillon exquirentis, ut a Clero Communis vulgo Serra Dioecesis Hieracen., cujus ipse est Procurator, continuari valeat usus S. Supellectilium ex gossypio confectarum, S. C. in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito rescripsit Episcopo, ut veris existentibus narratis indulgeat, ut intra Bienenium supellectilia renouentur ad tramites Generalis Decreti, permissis interim earum usu, quae nunc habentur.

N. 4774 die 12. Martii 1836.

14) Utrum debeant fieri ex vestibus mulierum?

Paramenta Sacra ex Glossa in cap.: *Ad nuptiarum* 43. *de consecr. dist. 1.* non debent fieri ex vestibus mulierum; ibi: „Ex veste alicujus Dominae vel alterius non debet fieri casula vel aliquis ornatus Ecclesiae“; et hanc Glossam sequuntur Bacco in 4. dist. 11. q. 1. art. 5. et alii, quos tacito nomine citant Barbosa lib. 3. Juris Ecclesiast. univers. cap. 2. n. 33. et Suarez disp.

81. de Sacrificio sect. 8. §.: sed quaerens et hujus opinionis videtur esse etiam Matthaeucci Officialis Curiae cap. 7. n. 33. et alii: arg. cap.: Vestimenta. dist. 1. et cap.: ad haec 4. de Religiosis Domibus. At vero ipse Barbosa loc. cit. n. 33. tenet contrarium; dicit enim expresse: „Non prohibetur autem Sacras Vestes et alia ornamenta Ecclesiae ex materia profana vel etiam muliebri veste fieri, quamvis aliqui per Gloss. in cap.: ad nuptiarum, de consecrat. dist. 1. et in cap.: Ad haec, de Religiosis Domibus, contrarium senserint, quia per consecrationem Episcopi sanctificantur et templa Idolorum in Ecclesias convertuntur.“ Idem expresse tenet Lezana Summa q. Regularium t. 4. verb.: Paramenta Sacra n. 3., ubi dicit, quod ornamenta seu Paramenta Sacra possunt fieri ex materia etiam profana vel etiam ex mulierum vestibus, non solum propter vivae vocis oraculum Sixti IV. pro Minoribus, quod refert Casarubius in *Compend. privileg. Mendicant. verb.: Ornamenta Ecclesiastica* n. 6., sed etiam Jure communi; quia per benedictionem sanctificantur et ex profanis fiunt Sancta et Sacra. Et idem absolute tenet *Quarti Comm. in Rubr. Missalis part. 1. tit. 19. dub. 4.*, ubi dicit, quod communis et vera sententia docet, hoc licite fieri posse absque ullo scrupulo, tum quia hoc nullibi reperitur prohibitum, tum quia ex communi usu Fideles vestes pretiosas Ecclesiis donant, ut ex illis conficiantur casulae et Paramenta Altaris; et Praefecti Ecclesiarum etiam doctissimi ita exequantur; tum etiam, quia constat ex praxi communes Domos nunquam in Templa converti, exemplo Marcelli Papae, qui domum Lucinae in Eccles. consecravit, et Bonifacii IV., qui Pantheon Templum Idolorum consecravit in honorem omnium Sanctorum. Immo id expresse concessit Sixtus IV. Fratibus Minoribus, ut refert Casarub.